

rosam: & istam rationem voluit Jurisconsultus in dict. leg. Etiam, §. 1. de Pet. hered. ibi: Ne singul. judiciis vexaretur, ubi sic exponit solus Paul. de Castr. in princip. Ita ergo dicamus in nostro casu, quod quando quis possidet titulo pro herede, si mediante illo possideat totam hereditatem, possit conveniri; si verò aliquam vel aliquas res particulares tunc non teneatur nec conveniri possit hac actione: Unde ad illum textum in dict. leg. Neratius non est vera ratio illa communis supra assignata; quia illa attentata, haberet locum ille textus etiam si defunctus haberet & possideret quamlibet rem minimam particularem: sed attentata ista mea secunda ratione, non haberet locum nisi solùm eo casu, quo ille defunctus possideret universaliter totam hereditatem primi defuncti: Et licet DD. antiqui nec moderni verbum in hoc non dicant, tamen ista videtur mihi veritas & realis intentio illorum jurium, & hoc videtur esse de mente Bald. in distinctione quam facit in leg. Nec ullam 1. colum. in med. ff. de Pet. hered. Et ex eo reprobo dictum singulare Jas. in §. Sed quidem Instit. de action. 4. colum. num. 22. ubi dicit, quod Publiciana datur contra possidentem pro herede, cum non sit verè titulus; argumento Glos. & communis opinionis in Rubr. ff. Pro herede, & in leg. Pro herede. ff. de Pet. hered. & dicit esse suum novum dictum, ab alio non tactum: Nam si Jas. intelligit, eo casu quo ex persona defuncti actor intendat Publicianam contra tertium possessorem, qui dicit & prætendit se heredem verbo, cum non sit; est indubitabilis opinio sua, cum ille titulus non sit titulus: & patet, quia tunc propriè competit petitio hereditatis, & per consequens competeret Publiciana: Si verò Jas. loquitur eo casu, quo ille possessor successit alteri defuncto, & sic possidet vero titulo pro herede; tunc ejus opinio est falsa, cum ille sit verus & legitimus titulus, ut supra probavi: & secundum hoc rectè dicebat ille solemniter quem dicit ibi Jas. interrogasse de hoc, quem ipse Jas. reprehendit, & male. Et istam meam opinionem tenet expressè Alexand. in Addition. ad Bart. in dict. leg. Neratius. ff. de Pet. hered. & fortè ille erat solemniter vir, de quo dixi in dict. §. Ille quidem, licet eum ibi non nominaverit. Item adde non minus singulariter, quod prædicta deberent intelligi, quando ille hæres & possessor qui possidet titulo pro herede, esset extraneus: secus verò si esset filius suus & in potestate; quia tunc nullo casu reputaretur verus titulus pro herede in sua persona, unde indistinctè, modò possideat universaliter res, modò aliquas particulariter, posset conveniri petitione hereditatis, & etiam Publiciana

in suis casibus, cum ille titulus, quoad filium habeatur pro non titulo, argumento text. cum materia, in leg. Nihil, Cod. Pro herede. Unum tamen est diligenter notandum in illa materia: quod ita demum titulus excludit petitionem hereditatis, quando fuit acquisitus in vita defuncti: secus si post mortem ejus; quia tunc bene potest possessor conveniri; ita determinat solus Bald. in leg. fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. 6. colum. 9. opposit. & 7. colum. 11. opposit. ubi dicit, quod miratur hoc à nemine fuisse animadversum: quod dictum reputat ibi singulare Paul. fin. colum. & limitat esse verum, quando titulus esset acquisitus ab illo qui poterat conveniri petitione hereditatis, ex eo quod in alium non potuit transferre plus juris quam ipse habeat: & idem in effectu tenet ibi Corne. 8. colum. in princ. idem etiam tenet Bald. in leg. Nec ullam, propè finem. ff. de Pet. hered. licet Paul. relinquat cogitandum, in leg. Regulariter, in fin. eodem titulo. Sed atende, quod ista nova sententia & conclusio nullo modo potest esse vera, imò apertè est falsa: Primò, quia considero, quod omnia iura quæ dicunt, quod petitio hereditatis non datur contra titulo possidentem, necessariò debent intelligi de titulo acquisito post mortem defuncti: quia ad hoc ut petitio hereditatis competat heredi, oportet quod illa res, pro qua agitur, passeretur vel detineretur immediatè ab ipso defuncto tempore mortis & eam relinquat in sua hereditate, & aliter non potest comperere istud remedium; ergo possessor conventus, qui vult excusari propter titulum quem habet, debet intelligi de acquisito post mortem ab aliquo tertio; quia aliàs, si in vita defuncti habuisset titulum & possessionem ab aliquo, nullum esset dubium; cum eo ipso quod defunctus non teneret vel possideret eam tempore mortis, non posset competere petitio hereditatis, ut supra bene probavi: & ista est clara & viva ratio, quam DD. non advertunt: per quam reprobo & confundo prædictam subtilem & novam opinionem Bald. Secundò pro ista mea sententia & conclusione contra prædictos DD. facit: nam ratio illa fundamentalis & communis, per quam petitio hereditatis non datur contra titulo possidentem, quia habet potentius jus; militat & habet locum etiam in isto casu, modò titulus sit acquisitus post mortem defuncti. Tertio pro ista mea sententia & conclusione pondero & considero text. expressum in leg. penult. Cod. In quibus caus. ces. longi temp. pras. ubi dicit, quod ille qui possidet cum titulo aliquam rem quæ est vel fuit hereditatis, non potest conveniri petitione hereditatis; & sic apertè loquitur in

titulo habito post mortem defuncti; cum aliàs illa res non diceretur hereditatis, facit etiam text. in leg. 2. versic. Emptor. ff. de Pet. hered. text. in leg. Hereditatis, eodem titulo. & in expressò istam sententiam & conclusionem contra Bald. tenet Salyc. in dict. leg. fin. §. fin. pen. col. n. 5. Cod. de Edict. divi Adrian. tollen. & ibi Alexand. antepenult. colum. Salyc. in leg. 2. Cod. de Pet. hered. 2. colum. num. 6. & ibi Paul. de Castr. 2. colum. Angel. de Aretin. in §. Sed iste quidem, Instit. de action. antepenult. colum. n. 13. idem Angel. in §. Actionum, eod. titulo. antepenult. colum. num. 68. Jas. ibi, 27. colum. n. 218. sentit apertè Bart. si bene consideretur in leg. Cogi, Cod. de Pet. hered. 2. col. in illa quæst. an titulus superveniens pendente iudicio, excludat petitionem hereditatis, idem etiam videtur tenere Jas. in leg. 1. Cod. de Inoffic. testam. penultim. colum. versic. Sextò singulariter limita, & istam eandem opinionem tenet Bald. sibi contrarius in leg. Incerti, Cod. de Interdict. 9. colum. num. 27. Item adde pro maxima & necessaria declaratione materiæ, quod petitio hereditatis ita demum competit heredi, quando adivit hereditatem, & nondum apprehendit possessionem rerum, sed antequam apprehendat reperit eas penes alium; nam tunc contra eum potest agere hoc remedium: si verò semel apprehendit possessionem rerum, & postea cadat à possessione earum vel alicujus, & reperiat penes alium, non poterit contra illum agere petitione hereditatis: & idem est, si semel egit & obtinuit, & postea cadit à possessione; quia postea non poterit agere isto remedio pro illa re consequenda: unde hoc casu necessariò recurrendum esset ad rei vindicationem, vel Publicianam: ista est Glos. singularis in jure, juncto text. in leg. 1. in glos. 2. ff. de Fideicom. hered. pet. quam ad hoc notat & commendat ibi Bart. Bald. Alb. & DD. antiqui: tenet etiam Alb. in Rubr. ff. de Pet. hered. num. 1. idem Alb. in leg. Si à domino vel patr. eodem titulo. ubi dicit esse satis notabile in materia: idem Alber. in leg. Non possumus. ff. Si pars her. pet. istam etiam sententiam & conclusionem tenet Petr. de Bellaper. in leg. 2. Codic. Quorum bonor. Franc. de Aretin. in leg. 1. §. Veteres. ff. de Acquir. post. & ibi Jas. 9. colum. num. 17. Joan. de Plat. in §. Actionum, Instit. de action. antepenult. colum. num. 76. & ibi Angel. de Aretin. fin. col. ubi valdè commendat, & Jas. ibi penult. colum. num. 238. dicens esse diligentissimè notandum, quia vehementer in hoc erratur practica. Idem etiam tenet Jas. in leg. Ejus qui in provincia, §. fin. penult. colum. ff. Si cert. per. Jacob. de Sanct. Georg. in leg. 1. ff. de Adend. 4. col. num. 23.

Anton. de Butr. in cons. 63. Alexand. in cons. 89. volum. 2. idem Alexand. cons. 94. colum. 2. eod. volum. istam etiam sententiam & conclusionem tenet expressè Glos. notabilis & ordinaria in cap. 1. de Confessis lib. 6. in gloss. 1. magna in fin. ubi ponit regulam & doctrinam generalem, quod petitio hereditatis, & quodlibet aliud remedium adipiscenda numquam competit postquam hæres semel apprehenderit possessionem, licet postea ceciderit ab ea: & ibi communiter DD. idem etiam tenet Spec. in titulo. de Positionibus, §. 10. versic. Hoc quoque diligenter notandum est. Contrariam tamen sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castr. in Rubr. ff. de Fideicom. her. pet. num. 3. ubi dicit, quod ex eo quod hæres apprehendat possessionem, non debet perdere commodum hujus remedii petitionis hereditatis, ut teneatur probare dominium, vel quasi, agendo rei vindicatione, vel Publiciana; cum ante apprehensam possessionem sufficeret probare repertam esse in hereditate defuncti: nec videt rationem per quam apprehensio possessionis contrarium inducat: Idem reperio quod tenet Philipp. Dec. in Regula, hereditas. ff. de Reg. jur. 2. col. n. 7. Sed his non obstantibus, ego teneo opinionem Glos. & communem: pro qua facit optimus text. in leg. Et non tantum. §. Quod si pro emptore. ff. de Pet. her. text. in leg. Si à domino vel patr. §. Si possessor, in fin. eod. titulo. facit etiam ratio in qua se fundat Bartol. in dict. leg. 1. de Fideicom. her. pet. ubi dicit, quod petitio hereditatis datur pro rebus hereditariis, ut in leg. Item videndum, §. fin. cum leg. sequent. ff. de Pet. heredit. sed postquam hæres apprehendit possessionem, jam res non sunt hereditariæ sed ipsius hæredis, ut in leg. 1. §. Veteres, & ibi Glos. & communis opinio DD. ff. de Acquirend. possess. sequitur ergo quod ista actione jam non potest agi. Nec obstat si replices, prout replicabat Paul. ubi supr. quod etiam ante apprehensam possessionem, eo ipso quod hereditas est adita, desinit esse hereditas; ergo numquam competit petitio hereditatis postquam hereditas est adita, licet possessio non sit apprehensa: Quia respondeo, quod respectu domini amplius non dicitur hereditas; sed respectu possessionis semper dicitur vacare, donec possessio apprehendatur: & ista fuit propria intentio Bartol. in dict. leg. 1. de Fideicom. heredit. pet. & ita respondet notabiliter Aretin. in Rubr. ff. de Acquirend. heredit. 1. colum. versic. Non obstat argumento. Confirmatur etiam superior communis opinio, quia remedium adipiscenda quorum bonorum non competit postquam hæres semel adeptus est possessionem: text. est in leg. 2. §. Hac autem interdicta. ff. de Interdictis, & ibi expressè

notat Angel. de Perus. text. in §. *Sequens*, vers. *Ita quod Instit. eodem titul.* & ibi notat Platea, tenet etiam Gloss. ordinaria in *dict. capit. 1. de Confess. lib. 6. in glos. mag. in fin.* Petr. de Bellaper. in leg. 2. *Cod. Quorum bonorum* Salycet. in *Rubr. eodem titul. 2. column.* Et similiter remedium leg. *fin. Cod. de Edict. divi Adrian. toll.* non competit hæredi postquam semel adeptus est possessionem, si cadat ab ea: ita notabiliter solus Cin. *ibi fin. column. num. 14.* cum quo transeunt communiter DD. & tenet & commendat Jas. in leg. *Ejus qui in provincia*, §. *fin. penultim. column. ff. Si cert. pet.* tenet etiam Angel. de Perus. in *dict. leg. 2. §. Hæc autem interdicta. ff. de Interdictis in princ.* Nec obstat Glos. in *Rubr. Cod. Quorum bonorum*, ubi dicit, quod ista remedia competunt ampliùs quam semel, per text. in leg. *Licet minimam. ff. de Petit. hered.* Quia debet intelligi pro re diversa: secùs pro eadem re, pro qua semel actor egit; quia pro ea non potest ampliùs quam semel intentari, secundùm DD. *ibi*: & isto modo debet etiam intelligi Glos. in leg. 3. *Cod. de Negot. gestis in gloss. antepen. sed secundum veram litteram in qua deficit, non.*

165 Uterius etiam pro perfecta intelligentia & practica hujus remedii *petitionis hereditatis* necessarium est videre: Qualiter debeat intentari & fieri condemnatio & executio, & quid comprehendatur in hoc iudicio generali? In quo articulo, ut omnes casus magistraliter comprehendam, procedo per resolutivas conclusiones. Prima conclusio sit: Quod actor potest proponere *petitionem hereditatis* universaliter, dicens se hæredem, & talem pronuntiari, & reum conventum condemnari & compelli ad restituendum quidquid habet, tenet, vel possidet de hereditate; & sic universaliter & genericè potest facere *petitionem*: quo casu, si actor probavit res quas reus possidebat, iudex pronuntiabit eum hæredem, & condemnabit reum eas restituere: si verò nullam vel nullas res probavit actor reum possidere, sed solum ex probationibus resultat & apparet reum possidere hereditatem, vel aliquas res hereditarias, & non constet quas; tunc iudex pronuntiabit actorem esse hæredem, & condemnabit genericè reum restituere omne illud quod habebat & possidebat de hereditate, & postea in executione fiat liquidatio rerum: & ita quotidie fit & practicitur: & in expressò istam theoreticam & doctrinam ponit Gloss. notabilis & ordinaria in leg. 1. *ff. de Edend. in glos. magn. post princ.* & tenet & declarat ibi Bald. 2. *column. in princ. num. 7.* quem vide: Albert. 2. *column. num. 4.* Odofred. 4. *column. in fin. versic. In universalibus*, Bald. 3. *column. in princ. num. 7.* qui reputat esse notabile, & menti te-

nendum: Paul. de Castr. *ibi*, 2. *column. num. 7.* Alexand. 3. *column. num. 20.* Jas. 5. *col. n. 29.* Jacob. de Sanct. Georg. 4. *column. numer. 22.* Innocent. notabiliter in *cap. Conquerente, penult. column. in fin. num. 5. de Offic. ordin.* Rosfred. qui notabiliter loquitur & declarat in libellis suis, in *Rubr. de action. universali.* Jas. in §. *Actionum*, *Inst. de action. num. 215.* Glos. notabilis & ordinaria in *cap. 2. de Libel. oblat. in gloss. magn. in medio. versic. In universalibus*, & ibi Joan. Andr. 3. *column. in med. Cardin. 1. col. in fin.* Marian. Socin. *ibi*, num. 17. & 79. facit bonus text. in leg. *Licet minimam. ff. de Petit. hered. text. in leg. Sed & si possessori, §. fin. in princ. ff. de Jurejur. text. etiam notabilis in leg. Defensionis, facultas, Cod. de Jure fisci, lib. 10. & ibi ad hoc expressè notat Bartol. & illum text. ad hoc tamquam principalem allegat Bartol. in *dict. leg. 1. ff. de Edend.* & post eum alii DD. suprà allegati. Pro qua sententia & conclusione est hodie lex notabilis in leg. 26. *titul. 2. part. 3.**

Secunda conclusio sit: Quod si actor egit *petitione hereditatis* contra illum qui possidet unam vel aliquam rem solam hereditatis, & postea pendente iudicio ante sententiam incipiat alias res de novo possidere, quæ non fuerunt petite nec deductæ in libello; tunc potest ferri sententia universaliter, per quam actor declaretur hæres, & reus condemnatur ut restituat omnes res quas possidet: iste est text. qui sic debet intelligi in leg. 4. *ff. de Petit. hered. cujus verba sunt, si hereditatem petam ab eo qui unam rem possidebat, de qua sola controversia erat, etiam id quod postea possidere cepit restituat*, text. etiam expressus in leg. *Si quo tempore, in princ. eod. tit. facit text. in leg. Quasitum. ff. de Peculio, text. in leg. 1. §. 1. ff. Si pars hered. petit.* & ita per illum text. in *dict. leg. 4.* tenet ibi Odofred. Alber. Bart. & notabiliùs ibi Bald. Angel. de Perus. qui bene declarat & ponit practicam, & ibi Paul. de Castr. & communiter scribentes: istam etiam conclusionem per illum text. tenet Anton. de Butr. in *cap. 2. de Libel. oblat. 7. col. vers. Et procedunt prædicta Spec. in tit. de Action. sen. petitione. §. Sequitur*, vers. *Differunt*: probat etiam Gloss. in *cap. Cum ad sedem, in gloss. 2. de resit. spol.*

166 Advertendum tamen pro intellectu illius subtilis & difficilis legis, quod videtur quod superior intellectus communis non possit procedere: nam in aliis bonis de novo possessis per reum non reperitur aliqua petitio; unde non potest iudex in eis condemnare, argumento text. & ejus regulæ in leg. *Ut fundus. ff. Comm. divid. ibi: Quia ultra id quod in iudicium deductum est, excedere potestas iudicis non potest*, text. in leg. *Si ex testam. in fin. ff. de Except. rei jud. text. in leg.*

Pom-

Pomponius, la 2. in fin. ff. de Negot. gest. text. in leg. fin. *Cod. de Fideicom. libert.* Nec obstat quod *petitio hereditatis* est iudicium universale, aptum comprehendere sub se omnes res hereditarias, ut patet ex prima conclusione superiore: Quia respondeo, quod verum est quando universaliter intentatur ad omnes res; si tamen intentatur pro aliqua re particulari, licet iudicium sit universale aptitudine, tamen effectus condemnationis moderatur & restringitur ad illam tantum rem petitam, ut in leg. *Licet minimam. ff. de Pet. hered.* Ergo sic dicamus in proposito, quod condemnatio & sententia debet moderari ut fiat tantum in re petita. Confirmatur etiam ista difficultas inevitabiliter: quia cum in aliis rebus noviter possessis à reo convento non reperitur defensus nec auditus, non potest bene constare, an possideat titulo, vel non; vel an hæres aliquando habuit earum possessionem; vel an reus habeat aliam justam causam defensionis, per quam possit excludere *petitionem hereditatis*: unde impossibile videtur quod possit condemnari; argumento text. in *cap. 1. de Caus. posses. & propr. text. in Clem. pastoralis*, vers. *Ceterum de re jud. vers. Cum simil.* quibus probatur, quod contra inauditam partem non potest ferri sententia. Unde sumpta occasione superioris difficultatis, reperio ad illam legem varios & subtiles intellectus.

Primus igitur intellectus ad illum text. in *dict. leg. 4.* sit, quod ibi actor non egit *petitione hereditatis* ad unam rem tantum; quia tunc non posset in aliis fieri condemnatio: sed egit *petitione hereditatis* universaliter contra reum conventum, generaliter dicendo, quod possidebat reus bona hereditaria; unde iustè venit condemnandus etiam in his quæ postea reperitur possidere tempore sententiæ: & istum intellectum reperio quod expressè & notabiliter tenet Rosfred. in *Libellis suis, in Rubr. de actione universal.* idem Rosfred. in *Rubr. de Petit. hered. 6. col. n. 9.* Innocent. in *cap. Conquerente de offic. ordinarii, penult. col. n. 5.* Bartol. in leg. *Edita actio. Cod. de Edend. 1. col. in fin.* contra hoc opono Alexand. *ibi*, 2. *col. in fin.* Jas. 5. *col. num. 12.* & in hoc videtur resistere Socin. licet relinquat cogitandum: Alber. in leg. 1. *ff. de Edend. 2. column. num. 4.* & ibi Alexand. 3. *col. num. 20.* Jacob. de Sanct. Georg. *ibi*, 4. *column. num. 22.* & istum intellectum apertè vult Glos. in *cap. 2. de Libel. oblat. in glos. magn. in medio. versic. In universalibus*, & Joan. Andr. *ibi*, 3. *col. in med. Card. ibi*, 1. *column. in fin.* & istum intellectum apertius tenet ibi Abb. Panorm. qui notabiliter loquitur, 10. *column. num. 25.* & ibi Felin. 6. *col. n. 11.* & tandem iste videtur magis communis intellectus: pro quo facit ibi text.

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

in *dict. leg. 4. in princip.* dum dicit, *si hereditatem petam, &c.* & sic non se restringit ad unam rem particularem. Nec obstat text. ibi dum dicit *de qua sola controversia erat.* Quia debet intelligi primò, *propter quam solam controversia erat*: & ita exponit ibi Glos. 1. quasi velit dicere, quod ratione illius rei fuit intentatum iudicium *petitionis hereditatis*: & secundùm hoc Gloss. illa ordinaria sentit istum intellectum. Sed certè iste intellectus, licet in se sit verus, tamen quoad illam legem non procedit: quia ibi actor tantum egit *petitione hereditatis* ad unam rem, & hoc significant verba text. dum dicit *de qua sola controversia erat.* Secundus intellectus verus & planus videtur esse, quod in casu illius legis *petitio* fuit generalis vel universalis; quia petit actor se pronuntiari hæredem, & restitui sibi talem rem possessam à reo convento, & insuper alia quæ postea reperitur possidere tempore sententiæ: istum intellectum refert Bald. in *dict. leg. 4. in princ.* dicens per aliquos dari, & non nominat aliquem authorem; sed reperio quod in expressò eum tenet Petr. de Bellaper. in leg. *Edita actio. Cod. de Edendo, 9. column. versic. Salva pace.* Sed iste intellectus etiam non procedit; cum apertè sit divinatorius. Tertius intellectus sit, quod ibi actor proposuit *petitionem hereditatis* universaliter, dicendo illum esse hæredem, & reum conventum possidere bona defuncti; unde petit sibi restitui talem rem certam: nam tunc cum universaliter egit, licet in conclusione petat restitutionem unius solius rei, veniunt etiam omnes aliæ res, attenda propositione generali vel universalis: & in specie istum intellectum reperio quod tenet Specul. in *titul. de Judiciis, §. 1. column. 1. versic. Si verò una res petitur.* Sed certè iste intellectus minus bene procedit: quia totum iudicium videtur fundamentum super una re, ut suprà ponderavi, & probat littera text. Et sic patet, quod intellectus illius legis ita dubius est, quod vix potest percipi veritas, & in ea præclari DD. variaverunt: Unde cogitavi quod sit quartus verus & notabilis intellectus ad illam legem, quod ibi actor egit *petitione hereditatis* pro sola una re tantum, & ad eam solam restrinxit *petitionem* suam, ut apertè probant verba text. putá, quia dixit se hæredem, & petit talem per iudicem pronuntiari: quia semper istud principaliter venit in hac actione, modò agat pro omnibus rebus, modò pro una re tantum, ut in leg. *Regulariter, cum leg. seq. ff. de Petit. hered.* & istud est quod vult text. in *dict. leg. 4. in princ.* dum dicit, *si hereditatem petam, primo petam me pronuntiari hæredem, & hereditatem ad me pertinere*: & ita accipitur in toto illo titulo, & rubrica, & in-

T t

su-

super petit rem illam ab adversario possessam sibi restitui, ut patet in text. ibi: *De qua sola controversia erat*, & postea pendente iudicio si reus alias res incipiat possidere, non requiritur alius libellus, nec litis contestatio, nec iuramentum de calumnia, nec aliqua alia petitio solemnibus vel formalibus: quia primus libellus, cum sit super actione universali, & in eo iam petitum sit illud, quod in eo principaliter & iure actionis venit, extenditur virtualiter ad omnes alias res, ut veniant illo in iudicio; bene tamen requiritur ante sententiam, quod actor summarie petat illas res quas de novo incepit reus possidere, implorato ad hoc iudicis officio, mediante quo fit in ista actione rerum restitutio, ut in *leg. Licet minimam. ff. de Petit. hered.* & iudex, audita parte adversa, summarie cognoscat de rebus noviter possessis, & in omnibus quas reperiat fuisse hereditatis condemnabit tempore sententiae: quia sine hoc impossibile esset, quod impartiret officium suum: & iste est verus & clarus intellectus illius legis iudicio meo; & reperio quod istum intellectum sentit clare Cin. in *leg. Edita actio. Cod. de Edend. 8. column. versic. Pro cuius rei notitia*, & ibi Paul. de Castr. 3. column. in princip. imo quod magis est, dico quod etiam si post sententiam latam incipit alias res possidere, virtus sententiae extenditur ad illas, ut non sit opus novo libello, nec iudicio aliquo ordinario, sed summarie potest cognosci, in illas res fuerunt hereditariae, & ex iudicis officio fiet earum restitutio: & ita etiam potest intelligi text. in *dict. leg. 4. in fin.* ibi: *Postea possidere cepit*, 1. post sententiam: & ita ibi expressè tenet & exponit solus Paul. de Castr. facit text. in *leg. Si quo tempore eodem titul.*

Tertia conclusio principalis & subtilis sit: Quod si actor intendat *petitionem hereditatis*, dicendo se heredem, & talem pronuntiare; & reus conventus nullam rem hereditatis penitus possideat, nec pendente iudicio incipiat possidere, sed tantum ipse reus dicat & pretendat se heredem esse, & per consequens neget intentionem actoris; bene competit actori *petitio hereditatis*; & tali contradictione probata, fertur sententia pro actore, in qua iudex pronuntiabit eum heredem, & habere omnia iura defuncti, & adversario perpetuum silentium imponetur; Et erit virtus huius sententiae maxima, quia quocumque tempore reperiat reus aliquam rem hereditatis possidere, illa sententia mandabitur executioni; & via summaria & executiva, implorato iudicis officio, probabit aliquam vel aliquas res esse penes reum condemnatum, & iudex compellet eas sibi restitui: ita probat mihi casus expressus & notabilis in

*leg. Item videndum. §. Si quis competetur. ff. de Petit. hered.* & licet ille textus videatur loqui eo casu, quo ante sententiam supervenit possessio reo; tamen eadem est ratio si superveniat sibi postea, cum iudicium *petitionis hereditatis* rectè fuit propositum: & istam conclusionem tenet ibi Paul. de Castr. in *fin.* licet non bene declaret nec fundet: idem Paul. in *leg. Si quo tempore, in fin. eodem titul.* idem Paul. in *dict. leg. 4. eodem tit.* Et ratio vera & subtilis huius conclusionis est; quia ista actio principaliter datur & competit, ut quis declaretur & pronuntietur heres universalis in solidum vel in quota & istud venit proprie ex natura ipsius actionis; restitutio autem rerum non venit iure actionis, sed ex iudicis officio, ut est text. clarus in *leg. Licet minimam. ff. de Petit. hered. text. in leg. 3. ibi: Hereditatem, nostram esse intendere possumus, eod. titul.* Et si subtiliter dicas, quod ista mea conclusio non potest esse vera, quia *petitio hereditatis* requirit extremum habile ex parte rei conventi, scilicet quod possideat aliquam rem *pro herede vel pro possessore*, ut dicit text. formalis in *leg. Regulariter cum 4. ll. sequentibus. ff. de Petit. her. text. in leg. Hereditatis, Cod. eodem titul.* & idem est in actione reali particulari, ut *Rei vindicatio, Publiciana*, & similis; quia semper requirit extremum habile, hoc est, possessio vel detentatio ex parte conventi, ut in *leg. unic. Cod. de Alien. jud. mut. caus. fac. cum materia.* Quia respondeo, quod bene verum est, quod *petitio hereditatis* competit contra eum qui possidet aliquam rem hereditatis *pro herede*, vel *pro possessore*, ut dicunt praedicta iura; sed etiam competit contra eum qui dicit & pretendit se heredem, ut hoc discutiatur & liquidetur, & pro eo qui probaverit feretur sententia declaratoria iuris universalis, pronuntiando eum heredem, & alteri imponendo silentium: & ita potest noviter intelligi text. in *dict. leg. Regulariter. ff. de Petit. her.* ibi: *Qui vel jus pro herede, vel possessore possidet, vel rem hereditariam*, quasi velit dicere, quod possidere jus dicatur, dicere se heredem & talem reputari: Facit etiam bonus text. in *leg. Sed & si possessor. §. Si cum de hereditate. ff. de Jurejur. Pro qua sententia & mea conclusione considero novissimè textum notabilem & subtilem & rationem ejus in leg. Hereditas etiam in princip. ff. de Petit. hered.* ubi dicit, quod heres & hereditas potest dici, licet nulla bona habuerit defunctus, nec relinquat in hereditate: cujus verba sunt: *Hereditas etiam sine ullo corpore juris intellectum habet* & tali casu principalis effectus erit representatio intellectualis defuncti, quae principaliter attenditur & a iure consideratur in qualibet successione, & ex qua pos-

possunt aliquando resultari effectus; & tali casu potest competere *petitio hereditatis*, ut probat text. in *dict. leg. Hereditas*, qui aliud non voluit, & credo quod in alium finem non fuit positus in illo titulo. Sed tunc reus adversarius nullam rem possideret; imò impossibile esset possidere, cum non sit aliqua res in hereditate: Ergo clare inferitur, quod potest competere contra illum qui tantum dicit & pretendit se heredem, & valebit iudicium & sententia huius iuris declaratoria. Nec obstat iterum si dicatur, quod lata definitiva sententia in principali, cessat iudicis officium accessorie competens, ut in *leg. 4. Cod. Depositi*: Quia illud est verum, quando officium iudicis respiciebat condemnationem; secus vero si respiciebat tantum executionem & solam realem restitutionem, ut *hic*.

Quarta conclusio & finalis sit: Quod si actor intentat *petitionem hereditatis*, & reus conventus non dicit nec contendit se heredem, nec etiam possidet aliquam rem hereditariam, nec obtulit se liti; tunc teneo indubitanter, quod non potest competere *petitio hereditatis*, nec valeat iudicium, nec sententia declaratoria alicujus juris; quia non est extremum aliquod ex parte rei conventi, ratione cujus intentetur, & non reperiretur reus in hoc iudicio contra quem possit ferri sententia: argumento text. in *cap. Forus, versic. In omni negotio*, extra, de verb. signif. & in *leg. Inter litigantes. ff. de Judic.* & in expresso istam conclusionem licet sic non declaratam tenet Bald. in *leg. Non alias, 1. lectur. ff. de Judic.* idem Bald. in *leg. Licet minimam, 1. lectur. ff. de Petit. hered.* idem Bald. in *leg. Qui se liti obtulit, 2. lect. ff. de Rei vend.* & ante eum Guillel. de Cum. in *leg. Cogi, C. eod. tit.* quem ibi refert Bald. *fin. column.* Licet contrarium & male velit Paul. in *leg. 4. ff. de Petit. her.* idem Paul. in *leg. Si quo tempore, eod. tit.* idem Paul. in *leg. Item videndum, §. 1. in fin. eod. tit.* Bald. & expressè & subtiliter in *leg. Cogi, Cod. eodem titul. fin. column. n. 13.* Salyc. ibi, penult. column. num. 13. & 14. argumento Glos. singularis in *leg. Si à te, §. 1. ff. de Excep. rei jud.* Sed certè eorum opinio est falsa; nec obstat Glos. in *dict. leg. Si à te*, quia eam reprobavi suo loco.

167 Et si quæras, in quo differat istud iudicium universale *petitionis hereditatis*, & interdictum *quorum bonorum*? vide Glos. in *Rubr. C. Quorum bonorum*, & ibi latè Bart. Bald. Salyc. & communiter DD. & satis patet ex supra dict. Bartol. in *leg. 1. ff. Quorum bonorum, 2. column. numer. 4.* & ibi DD. Rosfred. notabiliter in *Libellis suis, in Rubr. quorum bonorum, fin. column.* Ex quorum dictis possunt colligi sequentes differentiae: Pri-

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

ma, quia praedicta iudicia sunt merè possessoria; istud verò est mixtum, quia sapit proprietatem, cum in eo actor declaretur heres; sapit etiam possessionem, cum in consequentiam fiat restitutio possessionis. Secunda, quia illa iudicia sunt summaria, & quodam modo executiva, & in eis non ventilatur jus vel exceptio requirens altiore indagine; istud verò est plenarium. Tertia, quia in illis iudiciis non admittitur appellatio; in isto verò sic. Quarta, quia in illis iudiciis non veniunt fructus, nisi à tempore litis contestatae: quia regula notabilis est in hac materia, quod in interdictis non debentur fructus, accessiones, nec interesse, nisi à tempore litis contestatae: textus est in *leg. In interdictis. ff. de Interdictis*, cujus verba sunt, *in interdictis exinde ratio habetur fructuum, ex quo edicta sunt, non retro*, & ibi notat & commendat Glos. ordinaria Rainer. Bartol. Alber. Angel. de Perus. & communiter DD. text. in *leg. Quasitum. §. Ex hoc interdicto. ff. de Precario.* Quod est verum & procedit in omnibus interdictis, praeterquam in interdicto *Unde vi*: quia reus conventus tenetur à tempore violentiae commissae: text. est in *leg. 1. §. Ex die. ff. de Vi & vi arm.* cujus verba sunt, *ex die quo quis dejectus est, fructuum vario habetur, quamvis in ceteris interdictis ex quo & ita sunt non retro computantur*: text. in *leg. Semper. §. In hoc interdicto. ff. Quod vi aut clam. text. in leg. Videamus, la 2. §. In Fabiana. ff. de Usuris*, text. in *leg. Si de posses. Cod. Unde vi*; & istam regulam & doctrinam ponit Azor. in *Summa. Cod. de Interdictis, fin. column. num. 2. 1.* & communiter DD. in locis supra allegatis. Sed adde, quod praedicta regula & conclusio debet intelligi quando reus conventus possidet cum bona fide: Si verò cum mala fide, indistinctè tenetur in quolibet interdicto à tempore possessionis vel detentionis; & in interdicto *Unde vi* non est speciale, quia semper invasor fuit in mala fide: & in expresso ita tenet & declarat Rainer. Bart. Albert. Angel. de Perus. & communiter DD. in *dict. leg. In interdictis*, & in aliis locis supra allegatis. In isto verò iudicio *petitionis hereditatis* veniunt fructus, partus, & accessiones, in quantum possessor est factus locupletior, quia omnia ista augent hereditatem. Quod est verum & procedit quando erat bonae fidei possessor; si verò esset malae fidei possessor, indistinctè tenetur de omnibus fructibus & accessionibus: text. est in *leg. Sed & si leg. §. 1. & per totam legem. ff. de Petit. hered. cum similibus*. Interdictum *retinenda possessionis* competit possessori pro tuenda & conservanda possessione quam habet in aliqua re, contra impediendam vel molestantem in ea; & vocatur *Vri possideris*

T t 2

pro